

F. JONES: *Nominum ratio*. Aspects of the Use of Personal Names in Greek and Latin. Liverpool Classical Papers No. 4. Liverpool Classical Monthly, Liverpool 1996. ISSN 09669000. 161 p.

The scope of this booklet, which originates from supplementary research conducted as an adjunct to a doctoral dissertation on Juvenal, is obscure. More importantly, it is not easy to see its utility, as it consists of a somewhat chaotic collection of various thoughts that the author has wanted to share with the reader. They often have very little or nothing to do with ancient name-giving, so one wonders what the proud title *Nominum ratio* actually means. In the first section dealing with magic and religion (where erotic graffiti from Pompeii are comprised!) the author chatters about this and that, but has very little to say about personal names. And so on.

It shows very clearly throughout the whole booklet that the author has only vague ideas of many central features of ancient onomastics, and his/her familiarity with modern scholarship shows many gaps; this is especially true for the literature written in languages other than English. In chapter 2, which deals with loss or avoidance of names (if I may say, the author's reflexions on this point are highly vague and obscure), when speaking about slave name giving, (s)he refers to an outdated and very mediocre article by M. L. Gordon from 1924, but not a murmur on the substantial contributions published since then. On the other hand, the footnotes comprise much useless ballast, and what is more aggravating, there are incomprehensible faults in the information offered in the notes. To take at random just one example, on p. 11 n. 51 the book of E. Lofstedt (sic!), *Tabu, Euphemism and Primitive Conception in Late Latin*, Oslo 1959 is mentioned. I have never heard of such a book.

Sat sapienti. It remains for me a mystery how such a piece, in the preface to which some outstanding scholars are thanked, has passed through the referees and has been accepted for publication in a renowned collection.

Heikki Solin

Corpus Inscriptionum Latinarum. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editum. Volumen sextum. Inscriptiones Urbis Romae Latinae. Pars octava. Titulos et imagines collegit Silvio Panciera. Fasciculus tertius. Titulos magistratuum populi Romani ordinum senatorii equestrisque thesauro schedarum imaginumque ampliato edidit Géza Alföldy, adiuvantibus Maria Letizia Caldelli, Laura Chioffi, Fritz Mitthof, Heike Niquet, Silvia Orlandi, Cecilia Ricci, Andrea Scheithauer, Manfred G. Schmidt, Gabriele Wesch-Klein, Christian Witschel, itemque Claudia Kramer, Jens-Uwe Krause, Peter Kruschwitz. Gualterus de Gruyter et Socii, Berolini – Novi Eboraci. MM (= 2000). ISBN 3-11-016090-0. Pp. I–XXXII, 4667–5294. DEM 598.

Plane mirum videtur fasciculum hunc tertium (partis scilicet octavae Corporis inscriptionum voluminis VI, id est urbani) edi potuisse tribus tantum annis post fasciculum alterum titulos imperatorum continentem, qui divulgatus est a. 1997. Id debetur industriae atque laboribus hominis rerum epigraphicarum peritissimi, Géza Alföldy (= G.A.) professoris Heidelbergensis, eiusdem ipsius, qui etiam fasciculum alterum edidit. Ut par est, in ipsa editione hic et illic usus est adiutoribus eis qui supra sunt memorati, in indicibus autem conficiendis adiutorem habuit nullum. Cum cogitamus, quae iam sit condicio

Corporis inscriptionum Latinarum, respondendum est volumen certe sextum se optime habere, id quod praeterea non videtur dici posse nisi de volumine II, id est Hispano, et fortasse etiam de volumine X, cuius fasciculum primum mox edi posse omnes Helsingiae speramus.

Cogitanti mihi, quid dicendum sit hoc loco de opere huiusmodi, quod esse non vere magnum tantum sed etiam exoptatissimum omnibus patet, occurrit hoc, dicendum mihi primum esse aliquid de hoc libro in universum, deinde pauca de iis, quae eodem continentur, et denique adnotandum ad titulos quosdam ea quae mihi legenti hoc opus venerunt in mentem. Haec omnia mihi facienda sunt satis breviter, cum in hac ephemeride nostra non sit locus censuris longioribus; tamen, cum agatur de libro non magni sed maximi momenti, non possum eundem tamquam festinans obiter praeterire.

Quidcumque in universum dici potest et debet de hoc libro, id dicendum est genere non deliberativo sed ἐπιδεικτικῶ. Est enim non valde exoptatus tantum, sed quodam modo etiam exoptatior quam fasciculus is qui praecedit imperatores tractans ideo, quod titulis pertinentibus ad senatores et equites saepius videntur contineri res maioris cuiusdam momenti, ita ut tituli hi nos doceant non de senatoribus tantum sed etiam de familiis gentibusque eorundem, de provinciis earundemque administratione, de rebus militaribus, et de plurimis aliis rebus. Ita de utilitate non videor debere dicere plura, praesertim cum utilitas operis huius nemini latere possit. Neque debere mihi videor addere, agi de libro optimo, cum hoc ipsum efficiatur vel eo, quod editus est a homine eo quem supra dixi harum rerum peritissimum, et quod ii qui adiutores operis adhibiti sunt omnes munere suo functi sunt optime.

Ut iam transeam ad ea, quae hoc libro continentur (quae omnia complecti hoc loco nullo modo possum), insunt in hoc libro praeter praefationes, bibliographiam et sim. ea fere quae sequuntur. Addenda et corrigenda ad titulos in fasciculis prioribus editos (p. 4667–4823); per 544 paginas (!) tituli huius editionis, additis scilicet imaginibus photographis (p. 4825–5124; numeri novi sunt 40890–41434); indices per 158 paginas (p. 5125–5283); et tabellae denique synopticae quae dicuntur (in quibus haec editio comparatur cum veteribus), quibus additae sunt formae urbis suburbiique. Ad addenda et corrigenda quod attinet, ea iam legenda sunt omnibus qui titulos senatorum equitumque tractare in animo habent, cum omnia scitu digna ad titulos singulos pertinentia afferant et saepius quidem dissertatiunculae quaedam videantur potius quam "addenda" vetere huius vocabuli sensu. Notandum praeterea est addenda afferri etiam ad titulos eos quos non esse urbanos iam constat. Ex hac parte adnotavi inter alia haec: 1444 (ad Sosium Senecionem titulum pertinere demonstrat G.A. novis indiciis, praesertim eo loco, ubi titulus inventus est, nisus); 1552 (tit. quomodo restituendus sit demonstratur); 31806 (G.A. se ipsum corrigit).

In editione titulorum novorum – qui autem non omnes sunt novi, sed de novo tractandi, cf. infra – iam inveniuntur tituli omnes qui prodierunt post editum Corporis vol. VI. Notandum est in hoc fasciculo titulos proferri non secundum ordinem alphabeticum, sed secundum tempora et titulorum rationes ita, ut primum enumerentur tituli liberae rei p., deinde post elogia tituli publice (id est ab ipso s. p. q. R. vel sim.) positi; sequuntur tituli senatorii ab aetate Augusti Tiberii Gaii usque ad titulos saec. III exeuntis, qui post titulos adsignationum excipiuntur a titulis pertinentibus ad equites, ordinatis et ipsis secundum tempora. Concluditur haec pars a titulis omnibus inde a Diocletiano usque ad saec. V. Ex titulis his mentio hoc loco potest fieri horum: 41045 (tit. L. Cassi Longini cos. a. 11 – non,

ut antea putabatur, a. 30 – p. C. AE 1930, 70); 41050 (tit. Corneliorum AE 1992, 186); 41069 (tit. Iuli Graecini AE 1946, 94, ubi in fine legendum est *f. c.*); 41075 (tit. Q. Veranii); 41081 (tit. repertus Savariae in Pannonia, sed origine verisimiliter urbanus); 41118 (tit. T. Aii Sancti); 41119 (duo fragmenta eiusdem tituli relati ad Q. Antistium Adventum); 41121 (tit. Scipionis Orfiti cos. a. 149); 41127 (AE 1995, 231; nota ex titulo hoc secundum G.A. fortasse effici "expeditionem tertiam Germanicam" Commodi attribuendam esse a. 188); 41132 (tit. M. Varronis *Menippe*, fortasse quodam modo referendus ad ipsum Varronem Reatinum); 41140 (tit. Aufidii Victorini); 41144 (tit. editus in NSA 1933, sed non receptus in AE, relatus sine dubio recte ad Iunium Maximum eum de quo narrat Fronto p. 168sq. et cuius est tit. Ephesius I. Ephesos 811); 41180 (tit. Cerelli Apollinaris praef. vigilum AE 1969/70, 193 rep. Veiis, origine tamen ut videtur urbanus); 41225a (tit. nuper editus Nummiorum saec. III, ex quo iam apparet Nummium Albinum cos. II 263 pleno nomine appellatum esse M. Nummium Attidium – quod nomen verisimiliter accepit a matre – Senecionem Albinum, eiusque filium appellatum esse Archelaum Senecionem, quem hominem G.A. sine dubio recte putat eundem ac "Archesilaum" cos. a. 267; praeterea ex hoc titulo efficitur titulum 32026 = 41225b M. Nummii Attidii --- Tusci cuiusdam attribui posse Tusco cos. 258, eundemque iam posse propter nomina haberi fratrem cos. a. 263; ceterum addendum ad ea quae scripsit G.A. Attidiam matrem – ut videtur – consulum a. 263 et 258 propter cognomen Tusci consulis a. 258 videri fuisse filiam vel neptem Attidii Tusci PIR² A 1345); 41229 (tit. Rutilii Pudentis AE 1929, 158, ex quo inter alia iam apparet Baeticam annis 240 fuisse sub legatis Augusti, non sub proconsulibus); 41273 (tit. Taruttieni Paterni praef. praet., editus in NSA 1933, sed non receptus in AE); 41314 (laterculus senatorum aetatis fere Diocletiani, non receptus in AE); 41382 (tit. Stilichonis AE 1926, 124); 41383 (tit. Iunii Quarti Palladii AE 1928, 80); 41389 (tit. Aëtii AE 1950, 30). Ceterum observavi numerum titulorum editorum in ephemeridibus variis sed non receptorum in AE esse satis magnum, v. supra et etiam e. g. 41136. 41144. 41147. 41152. 41162. 41171. 41208. 41250. 41315.

Praeterea inveniuntur etiam plures tituli omnino inediti (vel paene inediti), inter quos maioris cuiusdam momenti hi: 40896a (cum stemmate Serviliorum); 41049 (Ser. Maluginensis cos. a. 10 p. C.); 41078 (Fonteius Agrippa cos. a. 58); 41112 (tit. positus L. Ploti<or> *Liberali ingenuo frumento publico, collactaneo L. Ploti Sabini pr. candidati, sodalis Titialis Flavialis*; nota Sabinum in tit. suo sepulchrali 41111 dici *praetorem* et *sodalem Titialem*); 41120 (tit. enarrans res gestas senatoris cuiusdam, fortasse Claudii Pompeiani generi imp. Marci); 41138; 41157 (tit. Prastinae ut videtur cuiusdam Surae); 41160; 41168; 41189; 41199 (tit. editus in *Bull. Com.* a. 1886, sed mirum in modum omissus in prioribus corporis fasciculis); 41205; 41209; 41214; 41232a (tit. Terentii Prisci cos., qui traditur in ms. quodam adservato Athenis); 41238; 41242; 41242a (tit. Appii cuiusdam Claudii Cerv[---] Quintiani, inserendi numero Ap. Claudiorum saec. III); 41243; 41245sq.; 41251sq.; 41254; 41268; 41278; 41308; 41349.

At numerus titulorum qui iam recepti erant in fasciculos priores, sed qui hic novo numero instructi denuo editi sunt, videtur superare numerum titulorum "novorum". Hoc factum esse videtur praesertim ideo, quod plurimi tituli "veteres" melius sive lecti sive intellecti iam sunt, saepissime cura ipsius G.A. Inter denuo editos inveniuntur e.g. tituli hi: 41053 (= 1467, cum stemmate Mussidiorum); 41054 (= 1508, tit. Rufi cuiusdam proconsulis Bithyniae et Ponti); 41057 (= 31765); 41058sq.; 41061 (Potitus Messalla);

41062 ("laudatio Turiae"); 41068; 41070; 41071a (= 31791, qui titulus P. Memmio Regulo attribuitur; in adnotatione a G.A. proponitur nova lectio tituli Ruscinonensis ILTG 633 ad eundem pertinentis); 41072 (tit. iam attribuitur T. Mussidio Polliano, homini aetatis Claudii; filius eiusdem 41073 = AE 1973, 37); 41077; 41091; 41093; 41102; 41106 (= 1574, tit. pertinens fortasse ad Tacitum rerum scriptorem); 41107; 41107a (= 9797); 41108; 41109; 41110sq.; 41113-16; 41122 (= 1401, tit. Diddi Iuliani); 41123sq. (tituli Flavi Cleonaei, quorum hic nunc primum a G.A. eidem attribuitur); 41125 (Iulius Frugi); 41126 (Iunius Pastor); 41129sq.; 41131 (tit. relatus a G.A. ad Sextium Lateranum cos. a. 154, id quod mihi etiam iam probatur; tamen hoc in dubium vocari posse videtur ideo, quod honores post praeturam magna ex parte sunt suppleti neque omnino certi, et quod inter nomina et honores mentio fit patris, id quod indicare potest hominem aetate non multum provectum); 41133-35; 41137; 41141-46; 41148; 41153-55; 41159; 41161; 41166 (= 1493; *bis cos.* a G.A. sine dubio recte emendatur in *pro cos.*; quamquam erunt fortasse qui mirentur Malvasiam in "cippo eleganti" legendo ita potuisse errare); 41167; 41168a (= 27843; recte hic homo iam additur albo senatorum); 41169sq.; 41172; 41176-78; 41182a (= 31798, tit. qui iam attribuitur Fabio Ciloni); 41183sq.; 41185 (= 1640, tit. iam ad Q. Maecium Laetum relatus); 41186; 41192 (liber "SCHNEIDER, Spitzenmanagement" - qui non videtur esse de Universitate Helsingiensi - non invenitur in bibliographia); 41193 (= 1551 + 1477); 41194-97; 41200; 41202; 41204; 41206; 41210sq. 41213; 41215-17; 41219sq.; 41223; 41225 (fragmentum 31085 iam additur titulo 31651; ceterum optime vidit G.A. non nomen tantum Iasdi, verum etiam formas litterarum indicare originem huius hominis Africanam); 41226 (legendum *Aquilio*, non *Adurio*); 41227; 41231-36; 41237 (tit., ut vidit G.A., sine dubio scriptus sub ipso imp. Gallo); 41239-41; 41247sq.; 41271 (= 31856; cognomen Vehilii primum videtur fuisse *Ga[llus]*, non *Gr[atus]*); 41272; 41281.

In opere ingenti non mirandum est, si hic et illic inveniuntur errores quidam vel quaedam, de quibus dubitare licet aut ad quae fortasse addi quaedam possint. Quae mihi venerunt in mentem cum hunc librum legi spero ut mihi liceat hoc loco proponere. 1329: pro *praenomen* (in: "etiam praenomen omissum ...") scribendum *cognomen*. – 1430: etiam abbreviationes *fil.* (pro *f.*) et *Quir.* (pro *Qui.*) indicia sunt aetatis paulo posterioris. – 1433: quominus nomina leg. III Aug. a. 238 erasa esse putemus obstare videtur quod rasura haec in titulis solis Africanis invenitur; ideo puto cogitandum esse de alio quodam supplemento (cf. ZPE 97, 1993, 254 adn. 3). – 1459: inscriptio haec mihi videtur valde suspecta. – 1494: mihi certe homo nomine C. Pomposidius Fabius Fraternus ("haud dubie ex Italia oriundus") attribuendus est non Italiae sed, cum nomen Fabii inveniatur coniunctum cum cognomine Fraternali, Hispaniae. – 1556: M. Gavius Appalius Maximus mihi non videtur esse idem ac M. Gavius cos. a. 155 (v. ZPE 53 [1983] 209sq.). – 1780: cum in tit. tradatur *Aconis Catullini* (non *Aconi(i)*), non video, cur hic vir appellandus sit *Aconius*, cum *Aconis* sit lectio ut dicere solemus difficilior et nihil obstat, quominus hunc hominem nomine *Aconem* fuisse statuamus. *Aco* nomen origine sine dubio Etruscum eiusmodi est ut *Commeatro*, *Mercello*, *Tenagino*, quorum nominum formae feminini sexus semper cadunt in *-onia*. ut in nomine *Aconiae Paulinae* filiae. – 3828: tituli versio Anglica est apud B. Campbell, *The Roman army 31 BC – AD 337* (1994) 353. – 31766: mihi certe *Geminum Artorium* dictum esse videtur per inversionem q. d., non ideo quod huic homini re vera fuerit praenomen *Gemini*. – 40890: in restituendis consulum nominibus minus placet more quodam Graeco *co(n)s(ulibus)* poni ante (non post) nomina et vocabulum *et* addi inter

nomina; nam secundum morem sollemnem *et* semper omittitur nisi consules cum singulis nominibus indicantur (e. g. *Cicerone et Antonio*; e contrario *M. Tullio C. Antonio*) *et cos.* additur post nomina; ceterum addi potuit in linguam Anglicam hunc titulum versum esse apud R.K. Sherk, *Rome and the Greek East* (1984) n. 66. – 40907: me titulum hunc tractavisse Arctos 22, 1988, 223 non recordor. – 41050: in delineatione legitur supplementum *Xviro*, in transcriptione *Xvir[o]*. – 41061: Potitum Messallam consulatum inisse Kal. Oct. videtur effici ex fastis Tauromenitanis (Arctos 22, 1988, 132). – 41071a: versum ultimum G.A. iam legit [*hic ex*] s. c. *h[onoratus est]*, relegans ad tit. ILS 943 *hic in omn[ibus] honoribus* cet. Quamquam addi possunt etiam alia exempla nominativi *hic* (e.g. ILS 1011. 1048. 1401) notandum tamen est dativum *huic* multo fuisse usitatiorem eo loco, quo in titulo honorario incipit enumeratio honorum aut meritorum quorundam extraordinariorum (cf. e.g. ILS 921. 984. 985. 1022. 1056. 1098. 1094+1100. 1112. 1326. 9502). Ita fortasse cogitari potest etiam de supplemento huiusmodi: [*Huic ex*] s. c. *h[onores decreti sunt ...]*. – 41074: in enumeratione civitatum adscriptarum tribui Romiliae addi potuit etiam Velia (G. Radke, RE VIII A 2403; A. Russi, Diz. epigr. IV 1908). – 41130: patria Quintiliorum fuit potius Alexandria Troadis quam Troia. – 41146 (tit. Pontii Laeliani): cum in delineatione Boissardiana nomen tribus legatur *Pub.*, in editione autem *Pup.*, erunt fortasse qui quaerant quibus modis nomen tribus sit traditum in hoc titulo qui iam dudum periit. – 41176 (= 1474): in fine versus 5 puto supplendum esse non *cur(ator) civitat(is) e[orum]*, sed nomen civitatis (quam non fuisse Sabratham, ut olim credebatur, G.A. recte vidit), nam invitus tantum adduci possum ut credam in prima mentione civitatis nomen incolarum eiusdem (nam in mentione civitatum praeter Karthaginem semper fere nominantur incolae, non nomen ipsum civitatis, ita ut dicatur e.g. *curator Puteolanorum*, non *Puteolorum*) taceri eosdemque appellatos esse nude *eos*; et etiamsi posueris civitatem fuisse nominatam loco quodam in initio tituli, expectaveris non *eorum* sed *eorundem*. – 41184: bene vidit K. Dietz, *Chiron* 27 (1997) 483sqq., Iulios hos non habuisse etiam nomen Galerii, sed adscriptos fuisse tribui Galeriae, id quod etiam G.A. probat; nihilominus iuvenis cuius est hic titulus in fine adnotationis appellatur C. Iulius Camilius Galerius Asper. – 41190/91: paene certum licet videatur in his tit. legendum esse *amico [fidis]simo*, cum in 41190 legatur *amico*, in 41191 eodem loco [----]*simo*, tamen videndum, num re vera, ut putat G.A., cogitandum sit de amico ipsius Augusti (scil. imp. Elagabali); meo quidem iudicio homo is qui titulum scripsit sine dubio scripsisset *amico Augusti* vel. sim. si hoc voluisset significare, agi de necessario quodam ipsius imperatoris; cum autem scripsit *amico fidissimo* neque plura, mihi certe probabile videtur hoc referendum esse ad eum potius qui titulum posuit (et verisimiliter etiam scripsit). Quamquam fatendum est eundem Extricatam in eisdem tit. nude praeter consuetudinem dici *comitem* (non *comitem Augusti* vel sim.), quod vocabulum sine dubio referendum est ad imperatorem. – 41195: notandum est in titulis omnibus pertinentibus ad hunc virum adfinesque eius vocabulum Claudii scribi per abbreviationem (*Cl.*, *Claud.*), id quod mihi videtur significare agi de tribu, non de nomine gentilicio (cf. praesertim ILS 1190). – 41223: nescio num, si scriptor tituli voluisset dicere hunc virum praefectura urbis functum habuisse dignitatem ordinis senatorii altissimam, hoc indicaverit usus verbis *in omni ord[in]e eius dignissimo*, praesertim cum potuisset Latine scribere *ordinis sui dignissimo*. Meo quidem iudicio *omni* coniungendum est non cum *ordine*, sed cum alio quodam vocabulo; cogitavi de *in omni ord[in]is sui gradu* vel sim., quamquam nescio, num in tit. locus sit supplemento huiusmodi. – 41328: nomen

Suecicum libri scripti a A. Nordh non recte redditum est. – 41330: *Numinius* fortasse idem est ac Νομήνιος. – 41401: non intellego, quid sibi velit signum "(!)" inter *instituto* et *et nobilitate*; qui titulum scripsit usus verbis *homo fama moribus o[mni vitae] instituto et nobilitate praecipuus* hoc intellegi voluit, Ionium virum spectabilem praecipuum fuisse non fama moribus nobilitate tantum sed etiam propter omne vitae suae institutum.

Indices non minus 158 paginarum non solum ea omnia continent quae inveniuntur in ipsis titulis (haec in "Indice epigraphico"), sed etiam (in "Indice generali") ea quae ad titulos illustrandos sunt allata. Praeterea notandum in hos indices recepta esse quaedam minus usitata, e. g. "calamitates et pericula privata publicaue" (p. 5267). Propter rerum magni momenti multitudinem de his indicibus dici potest eosdem non modo esse utilissimos, sed etiam dignos qui legantur; ego certe hos indices legens in quasdam res incidi, quae me titulos ipsos legentem effugerunt.

De Latinitate dicendum est editorem ipsum adiutoresque eius usos esse lingua Latina simplici potius quam ornato festivoque, id quod vehementer laudari debet. In his enim rebus dilucida perspicuitas maximi est momenti. Laudandus est etiam mendorum numerus exiguus. Quaedam tamen hoc loco afferre mihi liceat: p. xv "qui ... Heidelbergae laboravit": at vocabulum *laborare* non idem est ac Germ. 'arbeiten'. – 1333 (simili modo in 41215): non puto Latine dici posse "(homo) *Romam reditus*" ('zurückgekehrt'). – 31761 (item 31766) *cum stemmate ab ea* (pro: *a se*) *proposito*. – Minora quaedam (de erroribus typographi plerumque agi coniecerim): 1431 *titulus saec. III medii tribuendus*; 1449 *cursum honorum ampliorum*; 1751 *obiit nonnullus annos ante*; 31690 *Supplendus est* (pro *-dum*); 31737 *ex familia oppidi Gighis oriundo*; 41159 *eorundem cognominorum*; 41176 *res ita intelligendam puto*; 41225a *quin cos. II ... gesserit et ... natum sit*; 41278 *familia ... ab Aphrodisia Cariae orta*.

Iam finis est faciendus huic censurae. Agitur de fructu laborum vere immensium, agitur de libro non optimo exoptatoque tantum verum etiam eo, qui omnibus rerum epigraphicarum studiosis est legendus pervolutandus retractandus, et qui praeterea hunc locum habebit per multa decennia. Neque tamen solum ii, quibus notitia titulorum urbanorum est necessaria, hoc libro gaudebunt, sed etiam ii, qui scire volunt, cuiusmodi sit vita epigraphicorum; eandem plenam esse periculorum discimus e. g. ex iis, quae narrantur ad n. 1626 et ad n. 1634.

Olli Salomies

Epigrafia dilapidata. Scritti scelti di Giancarlo Susini. Epigrafia e antichità 15. Fratelli Lega Editori, Faenza 1997. (No ISBN number is mentioned.). 547 p.

This collection of papers by the late Professor Giancarlo Susini of Bologna was published in order to honour his 70th birthday. (Unfortunately, Professor Susini died in 2000.) No editor is mentioned, but the initiative for this collection seems to have been taken by Professor Angela Donati who wrote a *presentazione* (p. 5f.). A fairly large number of persons, many of them known for their epigraphical interests, are mentioned here as collaborators. The collection is referred to throughout as a selection, but I have not been able to think of any paper by Professor Susini which has been omitted, and so I suspect that the label "scritti scelti" refers to the existence of publications in local journals, of a more